

Cap. III. Sed et quia in Adam omnes perivimus¹, venit filius hominis querere et salvare quod perierat.² Et ipse dicit³: 'Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel'.

Cap. IIII. Et item discipulis dicit⁴: 'In viam gentium ne abieritis'. Itemque⁵: 'Ite, docete omnes gentes'.

Cap. V. Et scriptum est⁶: Deus neminem temptat. Et item⁷: 'Temptat vos dominus Deus vester'.

Cap. VI. Et Paulus⁸: 'Si hominibus placerem, Christi servus non essem'. Idemque⁹: 'Sicut ego per omnia omnibus placeo'.

13. Sic et in canonibus atque in Romanorum pontificum decretis in hunc modum legimus. Quia, ut liber Sapientiae dicit¹⁰, spiritus unicus et multiplex per organum hominis sibi artissimum non simul et in semel omnia profert. Et sacramenta salutis humanae pro temporum diversitate diversa ad unitatem tamen eiusdem
*f. 41'. fidei concordissime sunt recurrentia, *dicente Petro¹¹: 'Nunc ergo, quid^a temptatis Deum, imponere iugum supra collum discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu credimus nos salvari, quemadmodum et illi'.

14. Cap. I. Canones et decreta Romanorum pontificum dicunt, ut paenitentes non admittantur ad clerum vel non maneant in clero¹², et ecclesia catholica in beato Petro claves, iudiciariam scilicet potestatem, in ligando et solvendo accepit¹³, ut quaecumque solveret super terram, esset solutum et in cælo, quia solutum atque mundatum a peccatis, sicut Mattheum publicanum¹⁴, nemo qui contradicat ministrare debere sanctis.

Cap. II. Novatiani¹⁵ contra, quos ecclesiae sanctae rectores et plures et plurimum laborarunt, dixerunt, quia non oporteat eos, qui post baptismum peccant peccatum mortale, communione sacramentorum fieri dignos, sed invitandos quidem ad paenitentiam, spem vero remissionis non a sacerdotibus, sed a Deo solummodo sustinere, qui potestatem habet peccata remittere, contra
*f. 42. veritatem evangelicam sentientes, dicente Domino *. . . .

a) *Übergeschrieben, korr. aus qui.*

¹) Vgl. 1. Cor. 15, 22. ²) Vgl. Luc. 19, 10; Matth. 18, 11. ³) Matth. 15, 24. ⁴) Matth. 10, 5. ⁵) Matth. 28, 19. ⁶) Vgl. Jacob. 1, 13. ⁷) Deut. 13, 3. ⁸) Gal. 1, 10. ⁹) 1. Cor. 10, 33. ¹⁰) Vgl. Sap. 7, 22. ¹¹) Act. 15, 10, 11. ¹²) Vgl. oben S. 55. ¹³) Vgl. Matth. 16, 19. ¹⁴) Vgl. Matth. 9, 9, 10; 10, 3. ¹⁵) Vgl. oben S. 54 N. 5.